

## Bündner Urkundenbuch (Ed. Meyer-Marthaler/Perret) Nr. 17

In nomine sanctae trinitatis. Cum mysterium optamus recordari et secreta cordis nostri semper debere reminisci altissimi beneficia humano generi tributa, cum dominus deus noster Iesus Christus dignatus est descendere de sinu patris ad nos redimendos, qui me etiam indignum et exiguum omnium servorum dei non meis meritis sed sua clementia inter praesules ecclesiae suae dignatus est collocare: et ut perpendo infelicitatem meam nec minus casu fragilitatis meae, quod non meis meritis ullis, sed sua immensa pietate cupio reminisci: adhuc sicut meis et humanae fragilitatis obvolutum peccatis proximorum meorum (quod per primum parentem nostrum datum est), et incertae vitae huius exitus et spem recuperans ipso domino clementer promittente peccatoribus, quod eleemosynis possint, qui voluerint peccata sua redimere. Nam et ego indignus Tello vocatus episcopus non mea ei tribuo sed sua ipso tribuente reddo, cum ipse per prophetam dicit „Domini est terra et plenitudo eius“ et ut possim dicere, cum ipse propheta ait „Dominus pars hereditatis meae“. Et dum (tres) ecclesi(ae istius) sanctae Mariae semper virginis matris domini nostri Iesu Christi seu sancti Martini seu sancti Petri (quas in hoc loco constructas esse scimus, seu ceterorum sanctorum quorum nomina in hoc loco constructa sunt, quorum) norma plurimorum servorum dei in loco qui dicitur Desertina (monasterium regularium) constructum esse scimus, qua ego indignus ac si peccator Tello episcopus possidere videor et impensis meis plusquam debeo utor seu pro peccatis meis multis abluendis vel parentum meorum dono et ad ipsam ecclesiam sanctae Mariae seu sancti Martini seu sancti Petri transfundo, (hoc est avi mei Jactati et aviae a meae Salviae et genitoris mei Victoris vel illustris praesidis et genitricis meae Teusindae seu avunculi mei Vigili episcopi et germanorum meorum Zacconis, Jaetati et Vigili et nepotis mei Victoris et germanae meae Salviae seu neptis meae Teusinde et Oddae). Et adhuc dicente scriptura, quod qui res ecclesiae possedit sue aliquid proprietatis habuerit, testantur canones, cum rebus ecclesiae debet sociari, propterea ego Tello peccator ordinatus episcopus hic superius testimoniis confirmatis cedo post obitum meum vel decessum ad supradictam sacrosanctam ecclesiam sanctae Mariae et sancti Martini seu sancti Petri censum quem in perpetuum esse constituo atque discerno et de iure meo in ius et dominationi eius trado atque usque in perpetuum transfundo. Hoc est terra vel haereditas patris mei Victoris vel illustris praesidis quaecunque acquisivit per singula strumenta de quocunque ingenio conquisita ac mihi dominus per suam largitatem dare dignatus est.

Hoc est curtem meam in Secanio, imprimis salam cum solario subter caminata, desuper alias caminatas subter cellarium, coquina, stuba, circa curtem stabulum, tabulata, torhaces vel alia hospitali a vel cellaria et quidquid ad ipsam curtem pertinet, omnia ex integro. Item curtinum cum pomiferis suis. Item ortos et vineas subter curtem ex integro. Item in castro sala muricia, subter cellaria, torbaces in ipso castro quantum ad me legitime pertinet, omnia ex integro. Item ad vicum curtem meam cum tabulata, cum bareca cum omnibus quae ad ipsam curtem pertinent cum introitu suo ex integro. Item in territoriis agrum ad Buliu modiales sexaginta quinque confiniente ad ipsam curtem, alia parte ad sanctum Columbanum; agrum ad Secanina modiales viginti, confiniente in via publica; agrum trans vicum modiales decem', confiniente ad Gallonicum, alia parte ad Amanti; agrum in Stava modiales octodecim, confiniente ad Victoris, alia parte in via; agrum in Camguna modiales viginti quatuor confiniente in Johannis, alia parte in via; agrum in Sarrs modiales octoginta,

confiniente ad sancti Columbani, alia parte in via; agrum in Astivedae modiales quinquaginta, confiniente ad Calansionis, alia parte ad Vigili; agrum in Renio, modiales triginta, confiniente ad Lobeceni, alia parte ad Viventi agrum in Renio modiales quadraginta confiniente ad Iactati, alia parte ad Vrseceni; agrum in ipso loco, confiniente ad Pauli modiales duodecim; agrum ante sala modiales duo; agrum subter sala modiales sex, confiniente in via; agrum Alevnoce modiales triginta, confiniente ad sancti Columbani cum casa, cum duobus tabulatis, cum curte et introitu suo, et cum canicunis suis, confinientern ipsum agrum ad viam; alium agrum modiales decem, confinientern ad Solemnis ad sancti Martini; ad summum Levenoce roncale cum aedificio suo ex integro. Item pradum, curtinum subter Secanio et onera sexaginta cum aedificio suo confiniente ad sancti Columbani, alia parte in via; aliud curti num subter vico, onera decem, confiniente ad sancti Columbani de ambabus partibus; aliud curtinum onera octo, confiniente ad curtem; pradum in Heretis, onera sexaginta, confiniente ad sanctae Mariae, alia parte in via; pradum in Levenoce, onera quindecim, confiniens ad sancti Columbani et in Prado onera viginti confiniens ad sanctum Columbani, alia parte in Vedalionis, quantum me in ipso Levenoce habere videtur ex integro. Item in alpe Agise onera centum; pradum in Castrices in Roncale, onera viginti, confiniens ad Agusti, alia parte in via; pradum Suprasaxa roncale onera triginta, confiniens in sancti Martini, alia parte in Vederanionis; et super Falariae pradum onera sex, confiniens in sancti Stephani, alia parte ad Lobonis. Item in Flemme roncale ex integro. Item de colonis de ipsa curte Secanio: Ariscio, Gaudentius, Exoberius, Calanho, Valerius, Anulfus, Crespio, Iactatus, isti omnes cum uxoribus et filiis suis, agri, prata et quidquid ad ipsas colonias pertinet, cum omni sondro suo ex integro. Item de spehaticis Froncione, Proiectum, Evalern, Flecholvum, Lobecinum, Aurelium, Victorem, Saturninum, Massonem, Rusticum, Desiderium, Lobucionem, isti omnes cum uxoribus et filiis suis, agri, prata vel quidquid ad ipsos spicios pertinet cum omni sondro suo ex integro. Amantius persona praeter terram solam sanctae Mariae, Auster cum fratre suo, Aurelianus, Praestantius, Valerius, 5 Viventius', Columba, hos omnes cum uxoribus et filiis et quidquid ipsi colere videntur revertantur sicut priores.

Item villam meam Iliande, salam cum cellario, cum omnibus quae circa ipsam salam haberi videntur ex integro: torbaces, tabulata, barecae, curtes, ortus omnia cum introitu suo, quae circa ipsam curtem haberi videntur, quae ad me legitime pertinent, ex integro; agrum subter Lobene, modiales sexaginta, confinientem in sancti Martini; agrum ad curtem modiales quindecim confinientern in sanctae Mariae; agrum Aflupio modiales sex confinientern in Quartini; agrum Roncale modiales sex; agrum ante vicum modiales sex, confinientem in via, Item pradum in Campaniola onera decem, confinientern in sanctae Mariae; pradum in in Longorione onera decem, confinientem in sanctae Mariae. Item Supersaxa villam meam cum casa, cum tabulata, cum torbacibus, cum orto et omnibus quae circa ipsam curtem adpertinent ex integro; agrum modiales sexaginta; pradum onera centum alium locum Maniniocum agrum modiales viginti; aliud pradum Naulo, onera quadraginta; haec omnia sint data ad supradictam ecclesiam. Item coloni de ipsa curte Iliande: Sporcio, Vidalinus, hos duos cum uxoribus et filiis, agros, prata et cum omni sondro suo ex integro. Item Despicus, Vidalianus, Maurentius, Martinus, Calvolus, Lidorius, isti omnes cum suis uxoribus et filiis suis et cum omni sondro suo ex integro; Lopus et Vrsoci us b', qui sunt sine terra; et ipsi sint dati ad sanctam ecclesiam.

Item curtem meam in Bregelo (quam addo ad ipsum monasterium sanctae Mariae seu sancti Martini seu sancti Petri. Item) muriciam salam cum cellario, cum caminatis, cum

solario, cum torbace, cum stabulo, cum barecis, cum tabulata orto, curte et quidquid ad ipsam curtem adpertinet cum introitu suo, omnia ex integro. Item agrum in Ruane modiales triginta quinque confinientem in flumine, altera parte in sanctae Mariae; agrum in ipso Ruane modiales quatuor et confinientem ad Juliani, alia parte ad Oanis; agrum trans flumen modiales undecim, confinientem ad Proiecti, alia parte in flumen; agrum super castellum modiales octo, confinientem ad Siluionis, alia parte ad Evalentis; agrum ad ipsam curtem modiales octo, confinientem ad Juliani; agrum in Vorce modiales sexaginta, confinientem in Vuaonis, alia parte in via, cum aedificio suo, cum curte et introitu suo, omnia ex integro.

Item in Selauno curtem meam cum tabulata, cum bareca, cum torbace, cum omni adpertinentia sua I et quidquid ad ipsam curtem pertinet, ex integro; item agrum ad Feniles modiales octoginta, confinientem ad ipsam curtem; agrum Ardunae modiales sexdecim, confinientem ad Evalentis, alia parte in Juuenti; agrum in Vieinaues modiales septemdecim, confinientem ad Lomelengum, alia parte in sancti Martini; item pradium ad Sorella onera octo, confinientem ad Lidori; pradium Anives in curtino onera duodecim, confinientem ad abatissae; pradium in Esce onera viginti confinientem ad Bevani; pradium in Colimne onera quinque; pradium ad Renum onera viginti, confinientem ad Vieturucionis, altera parte ad Juliani; pradium in Ruane onera decem confinientem ad, sancti Martini; pradium in Valle Cava onera quatuor, confinientem in via; pradium Macene onera viginti quinque, confinientem in via, alia parte Crespionis. Item coloni de ipsa curte Tauronto: Laurentius et Lopus, hos duos cum omni sondro suo, ex integro. De Selauno Lidorius, Maurus, Befanius, Sicharius isti omnes cum uxoribus et filiis suis et cum omni sondro suo ex integro. Item Specius de Andeste Amantius, Montanarius, Exoberius, Fricellinus, Johannes, isti omnes cum uxoribus et filiis suis cum omni sondro suo ex integro. Item de ipsa curte Maurelius, Dominicus, Donadus, isti omnes cum uxoribus et filiis suis, agrum, pradium vel quidquid circa ipsas casas adpertinet, omnia ex integro. Leo persona sola, Fescianus cum uxore et filiis suis, agri, prada et cum omni sondro suo, ex integro. (Isti omnes revertantur post obitum nostrum ad ipsum monasterium sanctae Mariae seu sancti Martini seu sancti Petri).

Item in Maile agri, prada, sola, orti cum pomiferis quantum ad me legitime pertinet, praeter terram, ecclesiis portionem meam ex integro et praeter coloniam quae concessi iuniori meo Senatori pro servitio suo in ipso Maile. Item in Canpello agros, prada, sola, ortos cum pomiferis suis et quidquid ad me legitime pertinet, omnia ex integro. Similiter et Silva plana super Maile, quantum ad me legitime pertinet, (sit datum et concessum ad ipsum monasterium sanctae Mariae seu sancti Martini seu sancti Petri). Item silvas, scales fructiferas, (quas damus ad ipsum monasterium, quod superius nominavimus) super Iliande, quantum ad me pertinet ex integro. Item in Rucene curtem meam cum sala, cum cellario cum caminata, cum solario, cum torbace, cum stabulo, cum bareca, cum tabulata, cum orto et quidquid circa ipsam curtem adpertinet cum introitu suo et exitu cum aquis, cum pascuis, in silvis, omnia ex integro. Item roboredum subter Rucene ex integro. Item alpes (quas damus ad ipsum monasterium, quod superius nominavimus) Naulo media, Mendane cum secivo suo ex integro, in Fadohne portionem meam ex integro, in Ceipene 10 portionem P meam ex integro.

Item definimus de fidelibus nostris, quibus quantum concessimus nobis viventibus et post obitum nostrum donamus. Imprimis Lidorius tenet speciem, quem colit Vidales, (ipse revertatur post obitum nostrum ad ipsum monasterium) cum omni adpertinentia sua, similiter et terra quam ipse Lidorius possidet donamus ei agros, prada modiales

septuaginta, (nam omnia quae super hunc numerum habere videtur, revertantur ad supradictum monasterium). Item et Alecus tenet in ipso Iliande agrum modiales quadraginta (et ipse revertatur post obitum nostrum ad ipsum monasterium). Item Gaudentius tenet agrum modiales quindecim (et ipsum revertatur post obitum nostrum ad ipsum monasterium). Item Crescentianus tenet specium in Rucene et quatuor modiales in Renio (et ipsum revertatur sicut superius). Item Leontius camerarius tenet modiales quinque de Helanengo, item presbiter Vigilius tenet modiales tres de Helarinengo (et ipsum revertatur post obitum nostrum ad ipsum monasterium). Item Goncio tenet in Vorce agrum modiales octoginta (et ipsum revertatur post obitum nostrum ad ipsum monasterium). Item Vadardus tenet agrum modiales quinquaginta, (ipsum revertatur post obitum nostrum ad ipsum monasterium). Item Ianuarius tenet in Tauronto duas colonias preter homines (et ipsae revertantur ad ipsum monasterium post obitum nostrum). Item quam coloniam tenet presbiter Silvanus, agri, prada, sola, orti, aedificia cum omni adpertenentia et cum ipso servo nostro nomine Viventio, qui in ipsa n casa habitat, (revertantur haec omnia post obitum nostrum ad ipsum monasterium). Item colonias quas tenet presbiter Lepus in Falarie una cum homine, alia sine homine, pradum, onera quindecim, agrum in Roncalina modiales viginti, (revertantur haec omnia post obitum nostrum tam servi quam terra ad ipsum monasterium). Item colonia in ipso Falarie, quam colit Iactatus, ipsam donamus iuniori nostro Senatori tam nos viventes quam post obitum nostrum ad possidendum. Item coloniam quam tenet Amicho, ipsa revertatur post obitum nostrum ad ipsam ecclesiam. Item colonia, quam tenet Laveso in Fleme, quam colit Orsianus, (ipsa revertatur post obitum nostrum ad ipsum monasterium). Item in Valendano Maiorinus tenet agrum, modiales viginti quinque, (ipse revertatur post obitum nostrum ad ipsum monasterium). Similiter et in Amede coloniam quam ipse possidet, habeat commendatione, ipse Maiorinus (cum ipsa n colonia ad ipsum monasterium) cum uxore et filiis suis nutrimentum; (quos si semetipsum ab ipso loco abstraxerit, ipsa possessio in ipso monasterio stabilis sit permanere, nec liceat alicui ab hoc abstrahere). Item terram quam tenet Drucio in Castrice, (ipsa revertatur post obitum nostrum ad supradictum monasterium), et ipsum Drucionem statuemus ad ipsum locum sacrum esse commendatum.

(Hoc stabilimentum proponimus et quidquid immemores fuimus, aut in hac donatione sanctorum non conscripsimus preter quartam, quam reliquimus curti nostrae Flumini, de omnibus rebus nostris absolucionem, uti conscripta est, permanere). Et dum mihi omnipotens deus in hoc saeculo a vitam concesserit, omnia in mea permaneant potestate, et donatio haec post obitum meum firma permaneat, tam agris, quam pradis, solis, ortis, aedificiis, farinariis, alpibus, silvis, aquis, pascuis, accessionibus, vineis, pomiferis, peculiis, maiore, minore, aeramentis, ferraturis, loramentis, vasis, utensilibus, mobile et immobile, omne quidquid ad vitam hominis pertinet, (sit datum atque concessum ad ipsum monasterium sanctae Mariae seu sancti Martini sive sancti Petri, quod nuncupatur Desertina. Si quis, quod futurum esse non credimus, quod ego, ut absit aut ullus de haeredibus vel proheredibus meis, tam virilis sexus, quam foeminei genere ortus seu de certis vel incertis aut praetextatis cognationibus nati, tam propinqui generi meo, quam ex longinquo mihi proximi vel quaelibet extranea persona minima vel maxima, iudicia agens cura aut regalis potestas vel aliquis per regalium potestatem concessam aut dogalium presentiam commotam aut per muneris dona vel potestate propria inepte superba crederit, aut ausus fuerit, ab h(is) eccleai(is) abstrahere (et contra hoc factum nostrum aut genitoris mei quod ipse praecepit, ut ita fieret mandatum, ut haec conscriptio proprietatis facultatum nostrarum fieret, tam de compactione quam de proprietate de qualicunque tractu vel

conquisito ad nos nosse pervenisse. Hoc stabilimentum redemptionis peccatorum nostrorum statuimus habere et consortio sanctorum obfirmari, quod ego indignus sana mente et sospite corde, (me vivente patris mei praecepta), mea desideria curavi adimplere, ut pro me et pro omnibus parentum meorum, (qui superius conscripti sunt), ab altissimo iudice mereamur veniam de peccatis promereri. Propter hoc mundi creatorem posui intermedium iudicari, ut infestus fiat contra eum, qui contra factum istud ausus fuerit inrumpere aut temptare vel quolibet ingenio calumniam contra ipsas ecclesias praesumpserit a generare.

Inprimis iram domini nostri Iesu Christi incurrat et a sancta trinitate, id est patris et filii et spiritus sancti anathema fiat; parique modo in die iudicii ad sinistram cum impiis in profundum inferni descendat, sicut Dathan et Abiron et Core, qui contra Moisen rebelles steterant, sic ille sicut illi semetipsum hiato terrae demergat, et sicut Iudas traditor domini semetipsum in laqueo suspendat, corpus et animam poenaliu gehenna sine fine obtineat. (Et quantum de peccatis nostris et parentum nostrorum et fidelium nostrorum divina pietas pro his clementer iusserit indulgere, horum omnium peccata tota super ipsum veniant, et cum diabolo et ministris eius damnationem accipiat et cunctorum catholicorum fidelium consortio extraneus appareat. Insuper et in resurrectione humani generis septem damnationes mortis in stagno ignis super ipsum incumbant: prima damnatio: a sanctis separatio; secunda: a facie domini repulsio; tertia: in inferno demersio; quarta: operis eius retributio; quinta: sine poenitentia, quia nulla erit remissio; sexta: sine fine cruciatio; septima: omnium poenarum: non erit finitio et ab ipso consortio, qui illic diu noctuque deserviunt.) .Et (super haec omnia) insuper sit culpabilis ad actores saepedict(is) ecclesi(is) auri libras viginti et argenti pondus quadraginta et quod repetit in nullo petitio sua obtineat affectum, sed fiat ut decet, confusus de omnibus. Et cessio mea, quam ego prompta voluntate et devota mente rogavi fieri inconvulsa omni tempore usque in perpetuum obtineat firmitatem stipulatione subnexa.

Anno XV sub regno domini nostri Pipini regis, quod est XVIII kaI. ianuaris, facta charta donationis sanctorum; acta Curia in civitate publica sub praesentia virorum bonorum plurimorum testium.

+ Signum manus domini Tellonis episcopi Iargitoris, qui haec fieri iussi et manu mea propria firmavi.

+ Signum presbyteri Silvani a testis.

+ Signum manus Iustiniani iudicis testis.

+ Signum Prestantis a curialis testis.

+ Signum Lobucionis de Amede curialis testis.

+ Signum Constanti de Senegaune curialis testis.

+ Signum Lobucionis de Maile militis testis.

+ Signum Pauli de Tremine militis testis.

+ Signum Claudii de Curia curialis testis.

+ Signum Vrseceni de Scanauico curialis testis.

+ Signum Victoris filii Praestantis militis testis.

+ Signum Iustiniani de vico Moldene militis testis.

+ Signum Foscionis de Pogio militis testis.

Et ego Foscio presbyter iussus a domino me Tellone episcopo hanc donationem scripsi et manu mea propria subscripsi.